

1454 A. S.

N.5  
DISQUISITIO PHYSIOLOGICA,

De  
**AUDIENDI  
SENSU,**

*Quam*

Comprobante Ampl. COLLEGIO Philos.  
in percelebri Lycéo Aboënsi,

SUB PRÆSIDIO  
v. cl.

Dn. M. PETRI HAHN,  
Physices Profesloris & Regiæ Acad.  
Aboënsis Bibliothecarii Celeberrimi,  
Æqviter censentium judiciis exponit

OLAUS JUNHOLM,

Jun: Smol:

Ad diem 29 Febr: Æra Christianæ 1696.

---

Impr. apud Jo. LAURENTII WALLIUM.

*Æquissime, prudenter: spectatissimis*

**DN. LAURENTIO**  
**WILSTADIO,**  
**Urbis Aboënsis Con-**  
suli Justitiario Celebratissimo, Ever-  
getæ & Patrono benignissimo, o-  
mni honore, obsequiisq; cultu  
proseguendo.

**DN. SALOMONI**  
**MÖLLEK**

Prædiorum in inferiori Districtu  
Satagundensi Regiæ Aboënsi Acad. affi-  
gnatorum Præfecto solertissimo, Nutri-  
tio liberalissimo, Benefactori propenso,  
grato in honore habendo & co-  
lendo.

**PROLIXAM VITAM, VULTUSQUE BE-**  
**NIGNI FORTUNAM!**

**S**icut, qđi se infido credunt mari, dum  
navi rapidis & saevis percussa pro-  
cellis vebuntur, præ dolore penè ex-  
animantur & deficiunt; verum  
pulsis nebulis, quando aura serena incipit,  
statim exporrigere frontem, & gaudio ve-  
luti subsultare occipiunt; ita, posteaquam  
in has oras ad puli humanitatis artibus,  
citra fortunæ opem, studium adhibitus,  
ingenuè fateri possum: quod fortunæ vi  
perpulsus dudum languerim, nisi benigni  
Vestri oculi, qđi summam in vobis ani-  
mi propensionem comitati sunt, dolorem  
hunc absterrissent, meque tranquillo animo  
consistere jussissent. Liquidò etenim con-  
stat, vos nunquam non deliberatum habu-  
isse nihil homine dignius declarari posse,  
quam per compassionem dolere, & jacenti

pre-

pronam tendere dextram. Hæc proinde  
beneficentia, quâ me abundè prosecuti e-  
stis, omne studium, officium & obsequium,  
omnem denique industriam à me non  
repetit, verum exigit. Tyrocinium hoc  
Academicum propterea vobis in grati a-  
nimi pignus offero, submissè & officiose  
petens me in posterum tueri, fovere,  
ornareque velitis. Quibus officiis devi-  
nctus ego Deum precabor ut in his terris  
diutissimè & felicissimè agatis, & tandem  
corporeà hac mole levati; corona immar-  
cessibili ornemini.

## Vestrarum Dignationum.

officissimus

cultor

O. J.

# OPERI ADSIT JEHOVA!



Vaslibet partes, quibus corpus  
animatum dotatum est, præstan-  
tiæ & vigore singulari ornatas  
esse dudum confirmarunt, qui  
veritati patrocinium præstitere. Præter cete-  
ras autem, nunquam satis mirando & o-  
ptimo artificio binæ conditæ aures tanto gan-  
dent ornamento tantaque præstant excellen-  
tiâ, ut Dædalus, alias faber ingeniosissimus  
& oleum & tempus perdiderit, etiam si in  
eisdem, quâ decet congruentiâ, exprimendis,  
sedulam posuerit operam. Non facile delineaveris  
angustissimum illud juxta ædulcissimū corpo-  
ris & animæ Consortium, cuius gratiâ ut sese  
mutuo in omnibus actionibus pronâ levant ope,  
sic maxime eorum conspicitur familiaritas in  
omnibus quæ auditum concernunt; sine animâ  
corpus mortuum cadaver, sine corpore iterum  
anima instar peritissimi artificis ob penuriam  
instrumentorū nihil quicquam agere valentis.  
Opus igitur habet anima, cognitionis sem-  
per avida, organis, per quæ in intellectum  
deferantur objecta cognoscibilia, quod munus  
obeiendo, quantum adtulerit commodi Auditus,  
nec adeo facile dixeris: unde nec immerito

Sensus Disciplinæ vocatus est, cum per  
hunc ad quamlibet artem descendam com-  
modissima sternitur via, & sermo auditus se-  
minis vice est, ac multipicem fructum fert, eò  
quod inde per judiciorum communicationem  
scientiis atque artibus inventis incrementa ac-  
cedant. Et anquam collisione veritas excutiatur,  
unde cujusque rei perfectio sequatur. Viva cte-  
nim vox latenter quandam évéyeat adfert  
& plenissime afficit; muta vero quies vitaque  
sedentaria in otio semota pertinaciusque con-  
tinuata, propter obscuritatem, ingenii hominis,  
ceu caries & senium contrahit, & non corpo-  
ribus modo, sed etiam animis marcorem con-  
ciliat. Proporro quantum adjumenti in spiritu-  
alibus subministrat Auditus, luculenter ex sacris  
pandeictis innotescit: ubi veluti medium citatur  
ex divina éudoxia & beneplacito ordinatum, per  
quod nobis ipsum Divinum verbum adplica-  
tur, & ad cor transmittitur per aures, ut in  
homine inde illuminato fides accendatur. Ta-  
ceam quid obtinet in affectibus ciendis, cum  
nemini non notum sciverim ex relatione tri-  
stium rerum cor percelli, ex jucundarum vero  
delectari. Hujus sensuum fermè præstantissimi,  
utilissimi pariter & jucundissimi natura est,  
quam

quam litteris tradere & circa quam exiles ingenii vires exercere adgressus sum; elegi etiam, ac amplexus sum ea, quae optima videntur & que omnis politioris literaturae per pulcherrimam adprobaverunt. Rogatum ideo venio B. L. hæc in mitiorem partem excipiat, cogitationemque suscipiat non à me palestram digladiationi, sed templum contemplationi paratum esse, ut hinc plenior occasio notione utenti reundâ detur investigandæ ea, quæ ad egregiam' ejus ingenii aciem optimè quadrant, & captui meo passim non obvia fuere. Aditum igitur ad hanc rem adgrediendam facturus, meritò à definitione bujus sensus initium capiam, quam ductus celeberrimi Sperl. in medium proferiam.

§. I.

**A**uditus est sensus externus auris beneficio, soni species recipiens & cognoscens. Qvod autem Auditus sit sensus, adstruitur ex re qvisitis sensuum, quæ non ita pridem egregiè enodata, & porro huic in sequentibus applicanda sunt, ut rerum vinculum ordo seruetur & verba retractanda negligantur. Sensum denique hunc non intellectum volumus pro poten-

tentiâ auditivâ actum audiendi produc-  
cente; nec pro ejus Organo; sed pro  
actu secundo seu formali, dum de po-  
tentia in actum delatus, species Objecti  
audibilis impræsentiarum adprehendit.  
Eum etiam sensum peculiarem & à  
ceteris discretum esse stabiliunt ejus  
actus & objectum proprium, ut pluribus  
infra dicetur. Externum quoque hunc  
sensum esse comprobant differentiæ, quæ  
cæteros externos ab internis separant,  
respectu scilicet Organi, objecti & modi  
cognoscendi. §. II.

Cum sensus quilibet, ut sæpe pa-  
lam factum est, organici sint, & ni-  
hil sive interiores sive exteriores per-  
cipere possint, quin organica disposi-  
tione ejus modi operationes exercean-  
tur: ideo, siquidem in rebus creatis di-  
gnitate proximè hominem attingant  
bruta, sensuque hoc, ac cæteris, indif-  
ferenter gaudeant, & hoc ex necessi-  
tate esse oportet, si animalis nomen jure  
ipsis indatur. Quod autem nonnulla  
bruta animantia hominem acumine

&amp;

& vigore hujus sensus superare videntur: ut cervi, apri, talpæ juxta versum: Nos aper<sup>A</sup>ditu &c: non provenit ex præstantiâ temperamenti, quod in homine est optimum; sed ab organi Auditus conditione meliore, & in quantum Auditus non inhibetur per rationem aliis negotiis identidem in homine districtam. denique corporum sonantium modos illis quidem celerius percipere concessum; sed præclaro ingenii acumine homo solus objecti audib[us] differentias discernere & rectum de iis terre judicium potest. Qvare hæcce junctim stylo nostro prosequentes inquiramus non sensorium commune; sed quod ut proprium & adæquatum sibi vendicat auditus, qvod etiam legitime in auditionis opere actioni causæ principalis videlicet animæ sensitivæ subservire potest: cum, ut eleganter, licet paulò aliter, testificatur Plutarchus: quod *Mens cernit, mens audit, reliqua surda cœaque sunt & rationis indigunt*. Inprimis autem circa hanc rem prænotasse ju-

vabit illos, qvi opinionum dissensione discrepant, & in alienum sensum veri organi naturam detorqeunt fatagunt. Quorum quidam putaverunt aërem implantatum fore sensorium Auditus. Verum his respondet Aristoteles dicendo: quod sensus omnibus contingat per partes similares animatas, atqui aëris ille ingenitus talis non est pars. E. Præterea tamen probabile videtur requiri aerem implantatum ad auditum in sonis recipiendis; sicut in visu ad species visibiles recipiendas Organum lucidum inquit Senn: Epit: Ph: p. 691. Aliqui iterum sibi persuasum habebant membranam sive myringam in aure esse verum Organum. Alii nervos auditorios. Nonnulli cavam superficiem ossis petrosi maluerunt pro Organo haber. Secta demum Peripatetica vestigiis insistens magistri sui ac statuit cor commune fore sensorium, in quo ut primo sensibilia quævis percipuntur & dijudicantur; ita Auditum in illo expediri munusque suum obire, quin & aures soni saltim de-

đelativas & analoga instrumenta esse  
putavit. Quarum opinionum pleræq;  
a recto scopo organi inveniendi ab-  
errantes ludunt ferme Elencho causæ  
instrumentalis & adjuvantium. Con-  
jecturæ, quam de membranâ vel my-  
ringa illâ fecerunt, præ ceteris facile  
redditur responsum, dummodò meli-  
oris intelligentiæ gratiâ usus ejus, præ-  
eunte Seid: de Homine p. 214 recensea-  
mus: quorū I. Ne ad intimo rem Auditus  
sedem facile ingrederentur animalcula,  
vel pulvis aut fumus densus aut aliud  
simile, quod sensui nocere posset. II.  
Ne aér internus & implantatus, imme-  
diatè permixtus cum externo facile  
impurior crassiorque fieret, ideoque  
ad audiendi munus minus idoneus.  
III. Ut, quamvis substantia aëris pul-  
fati, cum interno non communicatur,  
sonus tamen communicetur, quod ne-  
cessarium est ad opus Auditionis. Ex  
hisce eliditur commode hæc opinio:  
licet enim facultas auditiva hac mem-  
brana opus habeat, non tamen ut causâ

instrumentali proximâ & adæquatâ;  
 sed ut adjutrice seu conditione sine qua,  
 non fit auditio. Cæteroquin erit in  
 Organo perfecto pars quædam, cui tan-  
 quam principi debeatur actio; At de  
 membranâ hac nequit adfirmari, ut  
 talis partis nomine veniat, siveque pro-  
 fensorio Auditus vero acceptetur. Idem  
 propemodum responsum interri potest  
 de nervo auditorio, interim tamen  
 addere lubet: quod si hæc persuasio  
 veritati congrueret, tunc itidem Visus  
 sensuumque cæterorum Organa essent  
 ipsis adsignati Nervi, qui continendo  
 ac deducendo spiritui animali ad sin-  
 gulos hos sensus sunt dicati. Præter  
 hæc, nec accedimus ad sententiam il-  
 lorum de osse petroso: quoniam in  
 meatu illo auditorio, qui dictus est an-  
 trum fodinarum, canales inibi existentes  
 propter brevitatem processus in osse  
 petroso produci nequeunt, resarcierunt  
 illud longitudinis damnum circumvolu-  
 tio & gyri ejusmodi, ut sonus arctata  
 permeans loca exquisitor & magis tem-  
 pera-

peratus redderetur. Ex hisce igitur dispa-  
 lescit illud subsidiariæ causæ vicem tan-  
 tum sustinere, nec legitimi Instrumenti  
 loco substitui posse. Tandem opinio illa  
 Aristotelis, quâ cor commune sensorium  
 fore sibi imaginatus est ut læpius antea  
 elusa est, & ē fundamentis disjecta: ita  
 sequitur eandem cum ruinoso illo funda-  
 mento corrueere: nam licet radicata sit  
 anima in corde, non tamen eo ut instru-  
 mento sentiendi utitur, sed ubi operatio-  
 nes suas exerit per nervos spiritus ani-  
 malis ad omnes sensus delativos ibi erit  
 commune sensorium, qvod in cerebro  
 effici dudum certis probationibus o-  
 stensum est; à cerebro etiam male  
 affecto, non à corde, delirium &  
 amentia proveniunt; petitur igitur pror-  
 sus principium. Nec denique obstat:  
 qvod qvidam pro sensorio Auditus  
 tria ossicula prætendant. Nam sen-  
 su planè carent, quem requirit instru-  
 mentum sensitivum, ut per illud fun-  
 ctiones animæ sensitivæ edi possint.  
 Nervo auditorio quoque destituuntur,  
qvi,

qui, ut dictum est, ob spiritum animalem ad hunc sensum deferendum omnino necessarius est. His opinibus, ut spes est, subversis verum  $\chi\rho\eta\sigma\epsilon$  & efficientia ejus, cuius est instrumentum adjungere incumbit, non sine actu tamen exponendum, cum  $\delta\upsilon\alpha\mu\epsilon$  causis per se non efficiatur: ubi primò occurunt externæ prominentiae: superior & inferior, quæ temporibus annexæ sunt. Superior tota cartilaginea est, ac semicirculum refert; inferior carnosior ac pingvior ab alâ pendens. Hæ non moventur in homine, sicut in aliis animalibus: quia non sunt in eâ parte hominis musculi, quemadmodum in aliis animalibus. Alioquin non ad ornatum, sed magis ad commodiorem soni receptionem factæ sunt, & si præcisæ fuerint, tunc sonus aurem facile præterlabitur, aut inordinatè exceptus strepitum tantummodo inordinatum in modum resonantis cicadæ aut fluitantis æquæ reddit.

Ve-

Verum hæc sibi relictæ hoc negotium expedire nequeunt, ut organi nomine dignæ habeantur. Refert igitur proximum & adæquatum sensorium Auditus allegare; qvod ut sententiam probatissimorum virorum sequamur, est auris interior, & in eâ compositi nervi auditorii, qvi à cerebro progressi Spiritum animalem transferunt, inque aures extenduntur, ubi in imo aurium anfractu porolo, tribus ossiculis, malleo, stapedi atqve incudi junguntur, qvæ ossicula tegit densa qvædam tunica, ubi continetur aër implantatus & immobilis, Hartn. Adm. Ph. 547.

## §. III.

Aristoteles hæc dicta dedit : *Sensus sensibilis sensus est & sensile sensuum sensibile;* quæ sicut relata se invicem respiciunt & immediato cohærent nexu; unde etiam auditus proprium & à cæteris distinctum adsciscit objectum sensibile, quod sonus dudum dictum est. Cuius naturam, ut multis evolvamus, è re haud

haud esse videtur : qvoniām hoc loco  
 non in *esse absoluto* ; sed respectivē & in  
*esse objecti* ponderandus venit, qvatenus  
 scilicet auditui repræsentatur, eumque  
 ad species audibiles percipiendas dirigit  
 ac movet. Privationem Objecti sui  
 æquè ac cæteri sensus percipit quoque  
 auditus : nempe *indirectè, occasionaliter* &  
 per consequentiam ; Intellectus autem  
 illam *formaliter* & *directè* perspicit. quia  
 ut dicit Sperl. nihil audientes, silentium  
 intelligimus; sicut nihil videntes tenebras  
 percipimus. Sed ut revertamur ad ea,  
 unde digressi sumus mente revolvere  
 oportet proprium hujus sensus sensile,  
 & sicut potentias & actus alias disjun-  
 gant objecta, ita hoc qvoque pro communi  
 more includit ipsum *materiale* five po-  
 tentia tale qvod nomine soni indigita-  
 tur; & *Formale* qvod *nō aures* consti-  
 tuit, & hâc vice rimamur, qvando ni-  
 mirum sonus *actu* & in *præsentia* auribus  
 accipitur. Definitionem proptereâ so-  
 ni ut adjiciamus exigit usus: qvo naturæ  
 & essentiæ item varietatum & divisio-  
 num

num ejus notitiâ qualicunq; præmuniti  
 securius destinatam viam ingrediamur.  
*Sonus est qualitas patibilis afficiens auditum*  
*ab aëris vel aquæ elisione orta per corporum*  
*inter se collisionem.* Hinc igitur essentia  
 ejus vera elicetur, qvâ vere & realiter  
 in modum accidentis, & quidem qualitatis  
 sensibilis, substantiis materialibus  
 extraessentialiter inhæret, & sic respe-  
 cter tollitur, quem ad illas habet per  
 modum alicujus intrinseci. Quapro-  
 pter tenues ventos manibus compre-  
 hendere voluerunt Stoici: qui conjecta-  
 vere sonum esse corpus, iētum utpote  
 aërem. Democritus etiam & Epicurus  
 sonum ex individuis corporibus con-  
 stare autumarunt. Sed committunt hi  
 elenchum adjunctorum: quippe com-  
 miscent substantiam seu subjectum, quod  
 sonum recipit & ad aures perfert, cum  
 accidenti sive sono ut modo insinuatum  
 est. Deinde si sonus esset corpus, tunc  
 facile admitteretur penetratio demen-  
 sionum: quia aér non cedit partibus  
 soni sed eas ut dictum est in se recipit.  
     &

& sic eo modo innumera corpora simul esse possent, ac in minimo proximum contineretur, quæ res quoque inaudita est. Obvium præterea cuilibet est: quod sonus nec sit  $\alpha\beta\gamma\delta\epsilon\zeta\eta\eta\eta$  & aëris motio, cum illa profluat à sono sicut effectus à causa; effectus autem non potest esse genus causæ. Nec deniq; formaliter exprimitur natura soni ab iis: qui eum pro percussione in aëre factâ venditarunt; Definitio ejus causalis inde duntaxat innuitur: quæ rem originaliter & primo; non verò symbolice, secundariò & communicative explicat. Ratio facilis redditur: quoniam sonus vehementem & celerem corporum plagam & ictum conlequitur. Quam probationem ulterius præstare conabimur, si præ cæteris conditiones corporum, quæ ad perfectum & diuturniorem sonum edendum requiruntur attendamus. Erunt proinde corpora (*a*) *dura* & *solida*; ut sibi invicem resistentia aërem fortiter ferire & expellere possint. Inde lana ad lanam, vel spongia ad spongiam per-

percussæ nullum faciunt sonum: quia  
 poris multis sunt refertæ, quibus  
 aër percussus excipitur, ut nulla fiat  
 fractio. ( $\beta$ ) *Plana*, *lævia* probeque  
*polita*; non vero *aspera* & *acuta*: quæ  
 non frangunt, sed dissipant aërem. Hinc  
 acus super acum concussa non efficit  
 sonum ( $\gamma$ ) *aërea*: Sic plumbum unum  
 ad aliud percussum nullum reddit so-  
 num. ( $\delta$ ) *Velociter* & *cum vehementiâ*  
*corpora ferienda sunt*; alioquin diffuit  
 aër, nullusque fit sonus: ut in unâ manu  
 alteri leniter adplicata fentimus. ( $\epsilon$ ) *Ge-*  
*neratur sonus etiam disruptione & fracturâ*  
*continui*; ut in fissione lignorum, ru-  
 pturâ chartæ aliquæ corporis scissilis.  
 ( $\zeta$ ) *Ex appulsi aeris ad tracheam arteriam*  
*oritur sonus*, qui animalium proprius est  
 & vox dicitur. præter hæc ad sonum  
 efficiendum concava corpora pluri-  
 mum conferunt: in eis etenim aër ob-  
 cavitatem interceptus sæpè frangitur, &  
 agitatus non protinus exit; sed de la-  
 tere in latus pellitur & sic prolongatur  
 sonus: sicut contingit in tinnitu cam-  
 pa-

panæ vel vacui vasis percussi. Libera-  
 runt denique fidem illi, quam multis  
 fecerunt: quod ær vehementer agita-  
 tus à ventis, vel cum vehementiâ ex  
 fistulis erumpens sonum efficiat. sic  
 etiam ex undâ undæ illisâ, ære virgâ  
 percusso, in igne, si aqua fuerit super-  
 fusa; itidem ex conflictu nubium, quæ  
 non sunt corpora solida & densa oriri  
 sonitum jam pro rato habetur, notante  
 Scal. Objecti hujus cardo ut melius in  
 hisce vertatur necesse est ut tres pro-  
 prietas omnes sonos generatim ad-  
 tinentes consignemus: quarum primum  
 tenet locum illud, quod plagam injicit,  
 mox cui ea ipsa incutitur; tertium  
 excipit, in quo ceu medio hoc pera-  
 gitur. Sive ut aliis eas brevioribus  
 verbis [complexi sunt: Percutiens, per-  
 cussum & medium. In aptam seriem  
 hasce digestas esse patet: quia duo e-  
 runt, quæ sese contundent, aut certe  
 unum corpus, secundum duas partes  
 vicem duorum sustinens. Cæterum  
 aliquem hujus rei non inscius dubi-  
 tati-

tationem tenere non creditur: quod hæc queant sine motu locali confici, cum certo certius est motum localem non fieri absque termino à quo, ad terminum ad qvem: quandoqvidem natura de uno extremo ad alterum medio excepto nihil moliatur. Hoc medium est *aer vel aqua*. Aëra qvin sonus faciliter transitu percurrat, nemo erit qui ambigat; Multi verò dubiâ cogitatione distracti fuere: An Aqva tale medium sit *in qua* sonus effici potest. Qvorum alii hoc pernagarunt propterea, quod densitas & humiditas tam celerem & vehementem ejus percussionem prohibent; Aliis stetit hæc intentia: qvod sonus efficitur quidem in aquis, sed absque intercedente aère ad auditum illum transferri posse prorsus abnuebant. Verum, has dissensiones componit Kipping. Dicens: Liquiditas aquæ non impedit, quo minus à motu & sono, tam intra, quam extra ipsam excitato moveatur, atque undulationes concipiatur, à quibus deferuntur soni species ab aquis & per

aqvas ad aures & efficiunt auditum  
quod etiam dilucidius facit 7. Thesis.  
Differentias sonorum quod adtinet,  
tunc illas breviter perstringemus: quæ  
vel ratione Efficientis, vel Adjuncto-  
rum se nobis obferunt. Horum respe-  
ctu multifariam illos diviserunt, insti-  
tuti a. habitâ ratione, potiores indigita-  
bit nostra thesis. Sonus igitur in genere  
distingvitur in directum seu simplicem;  
aut reflexum vel Multiplicatum. Ille  
est: qui nullo modo obstaculum invenit;  
sed liberum habet transitum. Quem  
iterum in partes sciderunt; in *Acutum*:  
quod celeriter medio moto ad Auditum  
usque percurrit. Hunc collatione qua-  
dam repræsentarunt, sicut sc. Acutum  
in tactu, brevi temporis momento di-  
scindit, & sine ullâ morâ, motu suo celeri  
passionem corpori infert; tinnitus ad-  
primè huic inseritur, qui eam ob cau-  
sam molestiam auribus parit; Vei *Gra-  
vem*: qui tardo incessu progreditur, mul-  
toque tempore indiget, antequam ad  
audi-

auditum penetrare potest. Quem rur-  
sus alio modo expresserunt: Veluti ob-  
tusum in tactu longo tempore parum  
secat, sed propter tarditatem & remis-  
fiorem motum magis pellit quam pun-  
git. Qvo modo etiam murmur & stre-  
pitus nihil incommodi adferentes facile  
tolerantur. Simili prorsus ratione chordæ  
& testudines remissæ gravem sive ob-  
scurum; intensæ verò acutiorem & cla-  
riorem reddunt sonum.

#### §. IV.

Persecuti jam sumus crassiori licet  
Minervâ Adjunctori respectu sonorum  
varietatem: reliquum est, ut summatim  
comprehendantur *Efficientis* ratione so-  
ni divisiones, quas per scripturam pu-  
blicavit Aristoteles, hodieque modera-  
tores Philosophi ad sensu excepere: so-  
num igitur à corporibus vel inanimatis,  
vel animatis excitari statuit: illum toni;  
hunc vero vocis nomine insigniebat.  
sonum a, cum pro talento haec tenus in  
communi pertractavimus, propriorem


progressum ad vocis naturam facimus:  
 quæ vel inarticulata est, & bestiis idem  
 adscribitur potissimumque Adfectus  
 exprimit. Describiturque quod sit sonus  
*animalis respirantis, pulmonum, asperæ ar-  
 teriæ & gutturis operâ formatus & ab ore  
 prolatus;* Vel articulata literilque distincta:  
 quæ verbis conceptuum conceptus re-  
 rum exponit, atque ad proprietatem  
 hominis proxime, sicut & Ratio, ac-  
 cedit, peculiarique nomine *sermo* dici-  
 tur. Cujus definitionem talem Evul-  
 gavit Sperl. *sermo est facultas animæ ra-  
 tionalis ad res mente conceptas enunciatione  
 manifestandas ordinata.* Cum vox & ser-  
 mo aliquot modis & affectionibus con-  
 ficiantur, paucis convenientiam illorum  
 perlustrare intererit, & quidem simul  
 naturam eorum per causas pandendo:  
 Vocis idèo Efficiens primaria est anima  
 sentiens; *sermonis* verò Intelligens. In-  
 strumentales seu organicae quibus vox in-  
 distincta seu articulata formatur, sunt  
 vel *Remotæ & communes* alias *sonationis*  
 dictæ: Ut *Pulmo, Diaphragma, musculi in-*  
ter-

*tercostales*, quæ vocem non efficiunt, sed Spiritum & äerem, quibus vocis formatio opus habet, communicant. *Propinquæ alias Efformationis* vocatæ: sunt aspera *arteria*, *Larynx* in quâ äer colliditur & in eo collitus resonat, cuius orificium dum constringitur. äere colliso vox editur; Homini verò musculi plures sunt dati, qui pro voluntatis imperio rimmam laryngis coarctare & dilatare possunt, ut variæ edantur voces. *Guttur*, *Palatum* in quibus äer quasi in utriculo colligitur. *Lingua*, quæ præcipuum organum sermonis est: hominem itaque singulari beneficentiâ prosecuta est Divina bonitas, concedendo illi præ animalibus ratione destitutis lingvam molissimam & latam, ut se possit contrahere, dilatare, producere atque juxta illam dispositionem literis distinctas voces volutare, ac tibicinis instar dulci modulamine cantus pectora mulcere. *Labia* quoque & dentes suas operas huc impertinent: nam voci se opponunt, motumque linguæ motione suâ præcedunt,

comitantur & subseqvuntur ut vocis articulandæ ratio requirit fatente Senn: *Materia vocis seu sermonis* est äer seu Spiritus erumpens: qui è pulmonibus per asperam arteriam in Laryngis rimulam & palatum repercutitur. In quâ Interspiratione motus solent numerari quinque: quorum *primus* dicitur *expiratio*, exspiratio: *secundus* & intensior non nihil, *inphonis*, exsuffratio sine strepitu: *tertius* *inphonis* *φονης*, efflatio sonora, vel strepens: *quartus* *φωνη*, vox: *quintus* *διάλεκτος*, loquela, sermo, vox articulata hominis. Nam qui expirare non potest, nec flare, nec strepere, nec vocem edere, nec loqui poterit ut docet Seid: de H. p. 544. *Formam* hinc provenientem constituunt vox aut sermo ex hisce facta. In *Fine vocis* dignoscitur affectuum expressio cum imagine significandi aliquid; suum autem terminum contingit sermo: cum homo ad mentem subinde retrospiciat & expendat se conditum esse, ut illo *sonante eloquio mentis* Lingvâ voces mittat; qvæ gloriā DEI

DEI enarrent; salutem proximi promo-  
veant & sibi commodum pariant emo-  
lumentum.

## §. V.

Jam Ordo devolutus ad sonum Mul-  
tiplicatum seu reflexum exigit, ut quæ-  
dam de eo simplicitè & apertè di-  
camus: Græcis hic sonus ιχω; latinis  
Echo quasi resonantia; Hebræis vero  
 i. e. Filia vocis nempe vox  
genita ab aliâ voce, nuncipatur. Cum  
autem Originem trahat ab omnibus so-  
nis rectè ut Genuinus reservetur; Ali-  
enus vero resecetur in *perfectum*; qvi  
ab ore animalis emissus reverberatur;  
vel *imperfectum*: qvi è rebus inanima-  
tis in äera delatus remittitur, dispesci-  
tur. Patet igitur qvod Echo fiat:  
qvando sonus ad Concava & solida cor-  
pora impingit, & ab his rejicitur, so-  
numq; primum geminat: qvi aliquando  
totus ad aures pervenit, cum locus est  
æqualis; Nunc aliquâ sui parte trun-  
catus, cum locus est flexus; Nunc ci-  
tius:

tius: cum corpus in quo repercussio sit,  
 minori abest intervallo; Tardius: quia  
 cum longius distat qui vocem excipit  
 ab eo corpore, quod reflectit, plus tem-  
 poris vocis regressus desiderat. Hinc  
 etiam notare convenit: quod Echo non  
 generetur ex novâ fractione aëris, quia  
 tunc sonus reciprocalis non esset arti-  
 culatus; sed ex priori soni specie ad nos per-  
 veniente: quæ non repetit integrum &  
 prolixam orationem; Sed ultima præ-  
 cipuè verba: qvoniام soni in eo pro-  
 gressu & regressu priores à posteriori-  
 bus & à tergo urgentibus turbantur.  
 Aér ideo percussus & sonum perferens,  
 si in lœve & concavum corpus incidat,  
 hoc aerem ulterius propagari & dilata-  
 ri prohibet, sed eodem semper recur-  
 rit, quo advenerat, tramite, atqve pilæ  
 instar lusoriaræ è pariete resiliens so-  
 num reiterat. Interdum vox non se-  
 mel reflectitur, sed pluribus vicibus; si  
 repercussa impingat in alia concava &  
 continua loca, à quibus iterum rever-  
 beratur ut Romæ factum est in viâ Ap-  
 piâ

piâ, qvæ octies eundum poëtæ versum retulit teste Schotto. Repercussio denique in solâ Echone non accidit: omnis etenim sonus, dum desinit, reflectitur, eò qvod æri percusso semper obstaculum objiciatur, à quo repellitur; alioquin si rectâ absqve præpedimento progrederetur, nemo seipsum verba facientem audiret. Qvod autem non explanatè percipiatur, indé contingit: qvod soni qvidam turbinè ventorum dispergantur; Aliqui demum sunt adeo exiles & debiles: qvi ideò debiliter & obscurè rejiciuntur, sonique primi geminationem ob debilem aëris percussionem obscuritate involvunt.

#### §. IV.

Haētenus levi penicillo adumbratum esse hujus sensus Objectum cognoscere potuistis. Cæterum, dum sensatio tribuitur Objecto, qvà ipsum movet sensum ad recipiendam speciem; placuit imagines spiritales, qvas de se diffundit sonus in auditionis negotio

perficiendo, clarius aliquantulum &  
 apertius exponere. Imprimis obser-  
 vationem non multum merentur illa:  
 qvæ in hujus theses decisionem multi  
 multa protulerunt, opinionumq;e va-  
 rietate adeò laboraverunt, ut qvid recti  
 discriminis à curvo discutere operosum  
 fuerit. Quidam Herculaneum nodum  
 se nectere rati sunt: dum *materialiter* u-  
 nicè sonum hunc tensum adficere opi-  
 nio eorum tulit, qvam propugnaturi exi-  
 stimabant sonum temel editum *realiter*  
 temper esse in äere medio & eo usq;e  
 continuari, donec auditum attingat.  
 Hanc igitur mentem suam eo modo  
 declararunt: qvasi proximus corporis fo-  
 sonoro äer vel aqua reciperet sonos non  
 per simplicem emanationem; Sed ho-  
 rum Elementorum conformationem,  
 scilicet serpendo in sensorium per äerem  
 immearet, quam diu vires motivæ aëri  
 insunt: qvibus exspirantibus deficeret  
 sonus, nec audiretur porro. Alii verò  
 in meliores & faniores tensus repo-  
 siti iudicium æquius hac de re fecerunt:  
     qvod-

quod non ad auditum, sed certam distantiam certumque spatium aër percelatur sonumque transferat, & species soni demum productæ & multiplicatæ auditui perceptibiles objiciantur: siquidem *non debet sonus realis uniri cum Organo Auditus*, eam etenim ob causam sentiretur res ipsa secundum materiam, essetque in *Organo* ejusmodi res. Absurdum etiam esset & naturæ sensuum aduersum: quod idem numero sonus, qui à pluribus auditur, in plures & diversos dissecaretur: cum omnis sensus idem numero objectum, à quo adficitur, percipere dicatur; attamen quamdiu movetur aër sono denegari nequit suum esse reale, illâ autem cessante motione generat sui speciem, quæ longinquis defertur dicente Scheibl. aliquin si in primo collisionis tempore vox esset merè spiritalis, tunc in instanti ad sensorium ferretur quod iterum à verò deviat: Nam sonus ad longa intervalla diffunditur & metalla durissima,

alia-

aliaque corpora solida pertransit, ut in tonitru & fulgure observatur: fulgur prius videtur, quam sonus auditur; sic etiam videtur motus securis statim, cum quendam ē longinquo ligna findere videmus, sed ejus sonus paulo post demum auditur: quod non nisi successivæ multiplicationi specierum audibilem adscribi oporet. Deinde sicut unius rei color non cernitur à multis; sed species ejus coloris diffusa & multiplicata per medium ὀνταφανεῖς; ita species soni per medium ὀντηχεῖς multiplicari & à plurimi percipi, testimonii haud fallacibus probatur: quippe sonus editus in viciniâ aurium à copiosa multitudine auribus hauritur, quod non ipsi sono, qui unicus est, & ab omnibus illum audiencibus ut unum Objectum adprehenditur; sed speciebus inde sparvis & propagatis adsignari debet, quæ secundum eruditorum calculum idem numero cum Objecto reali dici possunt, & spiritalem rei imaginem percipiens rem ipsam adprehendisse perhibetur.

Auditus denique non perciperet sonum cum distantiâ & situ: si materialiter ad aures diffunderetur, quia sonus, qui auditur, non est nisi in auribus atque illic sonans precipitur; At dum campana sonat semper sonum distan-tem & locum discernimus. Hanc sententiam ut vero vicinorem conservavit etiam veritatis amicissimus Sperl. inqviens: vocari in dubium non debet, quod sonus realis cum aëre ipso in aures possit incidere; sed auditio non ex materiali so-  
no, sed ex specie ab ipso fusâ habetur.

## §. VII.

Cum hic sensus ab objecto per vir-tutem tantum afficiatur, & soni non indefinitè percipientur, medium in-tervenire necessum est, ut Aristoteles etiam suffragatur, dum ait: οὐαταρόπεδα πάνων διὰ τὴ μέση. Medium proinde illud animo complectimur per quod transiens sonus ad auditum usque pro-tenditur: quod multarum rerum ex-perti duplex esse animadverterunt, Aërem  
& A-

& Aquam; illud primarium; hoc secundarium. Ad prius quod pertinet tunc compertum est: qvod multis explicata sententiæ veræ de illo ferendæ ratio defuerit: dum qvemvis aërem, vel partes ejus singulatim ejusmodi medium esse voluerunt. Hoc autem fieri neqvit: nam aër qui non totus concussus, placidâqve temperie temperatus, sed in partes disruptus & tempestate turbulentâ & iniqvâ agitatus est, toni particulas disgregat, nullumque fermè sonum ad aures transmittit, ut in tempestate humidâ & nivosâ campanarum pulsus celerius evanescunt, qvam alàs solebant. Nihil præterea hanc in rem agunt, ut supra innuimus, corpora aspera & ob multas protuberantias confragosa: qvia tota superficies iectum non admittit, nec aër medius tunc flagellatur totus; sed in partes diffecatur. Qvæ vero se insinuofas istas civitates corporis percussi insinuant, non verberantur: ideo ob inæqvaliter fractum & cæsum aërem lan-

gvidus vel planè nullus transmittitur  
 sonus. Requiritur propterea ut aér con-  
 tinuus atq[ue] unitus sonum inter duo cor-  
 pora effectum, inq[ue] vicinis & circumstan-  
 tibus sui partibus exceptum ad sensori-  
 um usq[ue] provehat. Demum aërem a-  
 lias soni expertem &  $\alpha\psi\phi\sigma$  esse mon-  
 stratur: cum aliunde, aliisque ex causis  
 sonus excitetur, quem in se ceu subje-  
 tum recipit. Cui rei non obstat: qvod  
 intruso in aurem digito strepitus qvi-  
 dam percipiatur. Nam fieri hoc vulgo  
 probant indè: qvod extraneus aér intra  
 digitum & aurem contentus & cohibi-  
 tus in specu auditorio flexuoso pellicu-  
 lam illam aridam & sonabilem quatit;  
 Alii vero maluerunt reputare hoc eve-  
 nire ex halitu perenni effluvio ex auri-  
 bus evolante, cuius egressum si adposi-  
 tus obex impedit, aér in illis inclusus  
 organum auditorium impellit, ex qvâ  
 affectione rumorem illum oriri censuit  
 Ant: Le Grand. quem interiorem esse  
 existimamus, De aqua, qvo minus et-  
 iam sit medium transitum concedendi  
 sonis

sonis, nullius animus in utramvis pattem inclinet: cum per caliginem intellectu facile est, qvod auditio in aquâ fiat, quæ sine unitione objecti audibilis cum sensorio auditus effici nequit; quemadmodum nec visio, nisi species objecti visibilis uniatur cum organo visus. Patet igitur ulterius ut per aerem; ita per aquam sonum devehit ad sensorium, licet minus perfectè ac obscurius; quoniam Aer ob tenuitatem & subtilitatem suam syllabarum distinctiones recipit & remittit; Aqva vero & imperfectum ac crassum reddit sonum. Hujus in meliorem intelligentiam Exemplis, per quæ breve & efficax est iter, dicente Senec, dilucidè instructi sumus. Qvorum prius desumitur a piscibus: quos in tumidarum aquarum campo audire, experientia duce observatum est: non quod motum aquæ sentiant; sed sonitum per illam percipient, quandoquidem a strepitu accendentium & bombardarum e navibus explosarum longius fugam capessunt, quod non potest a tactu esse:

quia

qvia bombardæ illæ sclopis suis sonitu quidem aquas verberant, contactu aut parum aut nibil incommodi adferunt. Pisces præterea silentio comprehenduntur, & more diuturno adsueti in vivariis cum plausu ad cibum celeri confluunt natatu. Urinatores quoque non per arundinem ori admotam quâ ærem captant; sed per ipsam aquæ substantiam sonitus auribus accipere se suo testimoniò dicunt. Nec denique obstat: qvod quidam in alienam partem hoc rapiant, eam foventes opinionem, quod quædam æris partes in *viscera Nerei* penetrare possint, quæ soni species ad aures transferant; Qvoniam illæ æris particulæ in aquis moram pati nequeant, sed statim sursum feruntur, & sic motus ille ab aquarum collisione ortus, aquas de super perrumpendo recipitur ab ære & ad aures transfertur. Kipp.

## §. VIII.

Breviter sic explanatis, quæ mediæ naturam concernunt, adjicimus modum

Auditionis, qui est objecti audibilis in aure perceptio. Circa hunc modum endpointandum Auctores multis difficultatibus implicati, nihil certi adserere voluerunt, & propter abyssum cognitionis ejus potius duxerunt gloriam Domini in hoc suo stupendo opere decantare, quam curiosa indagine imbecillis intellectus sui miram hanc rem per vestigare. Interim tamen in quaiescumque ejus notitiam ut veniamus, ex Auctori bus, quibus plurimum tribuitur, modum ejusmodi literarum monumentis traditum detegere conabimur. Auditionis igitur opus peragi credebant quando facultas auditiva de potentia in actum ab objecto audibili, per aerem & aquam tanquam media, traducta species soni recipit. Hoc autem sequenti procedit ordine: Corpora dum cum suis supra expressis requisitis concussa aerem intermedium coactum percutiunt ac frangunt: ex qua fractione obortus sonus, vox & sermo, propagantur impulsione quadam, qua ut in thesi priori di-  
ctum

Etum est, proxima & circumstantia aëris  
 pars adiecta, sonum excipit, aliamque  
 aëris partem motu locali propellit so-  
 num illi conferendo: donec species toni  
 propagata ad sensorium usque prove-  
 hatur. Hoc modo non impellitur aér  
 figurâ pyramidis ut in visione; sed sphæ-  
 ricè & orbiculariter, in modum circu-  
 lorum ab injecto in aquam lapillo pro-  
 pulsorum & ampliatorum. Hac pro-  
 inde de causâ sonus promotus spargit  
 species, quæ ad organum auditorium  
 delatæ ad *externas* in modum infundi-  
 buli excavatas *aures* tendunt: quæ pro-  
 minentiâ suâ illas excipiunt; Hinc trans-  
 feruntur in cavum & multis anfracti-  
 bus tortuosum meatum auditorium: qui  
 ossibus est, & cute obducitur tenui, densâ  
 & levi ac ossi valde adhærescente, ut  
 aér cum sono in angustum coactus  
 promptè auribus hauriatur; cum alias  
 aér percussus in loco ampio nimis dif-  
 fundatur & dissipetur, obscuriusque aë-  
 rem adficiat; denique ut aëris quali-  
 tates vehementiores nonnihil mitigeret,

prius quam ad membranam & nervum  
 auditorium penetreret, utpote si sit cali-  
 dior, frigidior vel intensus pulsus soni  
 advehens. Eaque de ratione ductus  
 hic non rectus sed obliquus factus est,  
 nam ictus obliqui minus offendunt;  
 quam qui recta sunt illati. Hinc iterum  
 digressæ species soni ad membranam  
 siccissimam & maxime sonoram *tym-panum*  
 dictam feruntur, quæ pulsari po-  
 test ab aëre moto, & ob tenuitatem  
 transmittere sonum ad interiora. Ab hac  
 ad ossicula tria pergunt: quæ rursus  
 chordam quandam tenissimam sibi &  
 tympano annexam commovent & qua-  
 tiunt. Ab his principali auditus organo  
 æri implantato & connaturali commu-  
 nicantur, quem aër externus cum addu-  
 cto sono commode concitat, illaque soni  
 species commendat. Cæteroquin est  
 hic aër immobilis & quietus, nè obtur-  
 batus auditus in sonorum differentiis  
 evidenter percipiendis vacillaret. Ab  
 omnibus sonis, sicut Externus, est hic aër  
 etiam vacuus, adposite tamen omnes  
 ad-

adprehendit. Ab hinc per flexuosos gyros meatuum interiorum nervum auditorium attingunt hæ soni species: Hic nervus spiritum animalem ē communis spirituum animalium conventiculo cerebro transfert, sine qvo auditio fieri neqvit: illo etenim impedito, ut in sensorio auditus non influat, cessat qvoq; actio auditus, ut in somno. Confecto sic auditionis negotio in interioribus aurium partibus, committuntur species auditui objectæ *sensui communi*: qvi, cum Auditus super propriam actionem nequeat reflecti, has discernit & dijudicat, & *Phantasiae* demandat: cuius officii ratio flagitat earum partitionem, compositionem & divisionem, ut homo suo *altissime contemplationis ingenio* illis eo modo depurgatis summam verborum elegantiam, summum nitorem, splendorem & candorem adjungat.

### §. IX.

Anteqvam huic vili operi fastigium imponamus opere pretium esse duximus disquisitionem illam Gordiis no-

dis obvinctam cancellis hujus discursus  
 includere, proque virium portiunculâ  
 explanare: Cur surdi à nativitate ple-  
 rumqve sint muti & ipso actu verba  
 fundere nequeant. In hac discutiendâ  
 auctores diversi diversum sentierunt:  
**Quosdam** etenim illam enucleaturos  
 confudisse adparet Facultatem cum ipso  
 exercitio, vel potentiam ἐμπορίου seu in-  
 natam, quæ ex hominis natura & es-  
 sentiâ fluit, cum actu & operatione ex-  
 terna, quam in qvovis individuo non esse  
 necessariam Scaliger Exer. 250. censuit:  
*Dum scilicet hominem licet surdum ad inven-  
 tionem naturam armasse prohibuerunt. Multi  
 iterum à defectu actus secundi ad ne-  
 gationem actus primi argumentantes  
 verum in hoc lensum amiserunt: qvippe  
 fibi in animum induxerunt imaginationem  
 sive mentis conceptum apud illos desiderari,  
 qui verbis sensa animi exprimere non valeant;  
 non advertentes: quod hæc sermones  
 cædendi potentia in illis non sit prom-  
 pta, facilis & expedita; sed vincita & li-  
 gata*

gata propter læsum instrumentum corporeum huic rei adcommodatum, per quod anima facultatum suarum efficiens & subjectum operari posset in vocibus variis adprehendendis: quæ non φύσει; sed ἡτοι, non naturā sed impositione aliquid significant. Hinc nulla lingua nobis connoscitur, nullaque naturalis est; sed audiendo addiscimus vocum significata Scarff: Hoc etiam ab experimento Regis Ægypti Plammerichi cum infantibus illis, quos pastori educandos dedit pro explorato habetur. Præterea commemorare lubet experimentum illud, quod, teste Wallefio, Monachus quidam sumpfit ad doctrinam locutionis sordis adhibendam. Illis nempe quos natura auribus mutilos in hanc lucem edidit præcipuâ arte modum loquendi instillavit, dum digito monstrando illos primo res ipsas chartis illinire docuit. Cujus tamen explanationem peritioribus relinqvimus, contenti saltim maxime conformem & genuinam

cau-

causam adferre: quamobrem surdi ora  
 quidem, sed ut plurimum muta gerant.  
**C**uam cum virorum in bonis disciplinis  
 celebratorum consensu adfirmamus  
 esse miram aurium, lingvæ, oris ac laryn-  
 gis communionem: Nam operat au-  
 rium daturi non reddunt anhelitum, sed  
 eum cohibent; oscitantes sonos exqui-  
 site non audiunt: scalpello tympanum  
 auris qui vellicant, arida cruciantur siti:  
 surdastris omnes ægre loquuntur, vocem-  
 que per nares reddunt. **Q**uintum ete-  
 nim nervorum par in auris tympanum  
 fertur: & ramulos ad lingvæ & laryn-  
 gis musculos mittit. Hâc verò naturali  
 vitiata constitutione, ipsas actiones lædi-  
 & aboleri necesse est. Hisce jam  
 colophonem addimus,  
 dicentes:

**EXSTET IN EXCELSIS,**  
**GLORIA SUMMA DEO.**

Hæc

Hæc, *Heliconiadum*, modulabat, amica Propago  
Comitarum! metricis verba coacta modis,  
**Dum tua, OLAVE, docet, JUNHOLM,**  
per amæna Thalia:

Quâ ratione sonos auribus accipimus.

**D**ircæum in memorant vatem flexisse canendo  
Prægrandes lapides; tam lyra lavavis erat!  
Me latet ac modus is, cum constat saxa carere  
Sensibus; his opus est; si bona motio sit:  
Auguror ast, illum plectro quassisse rigorem  
Pectoris humani; saepius hoc lapis est!  
Si minuetur, sint & *Stapes*, *Malleus*, *Incus*,  
*Musculus* his junctus; plena sat aëris hæc,  
*Tympana* ponè sedent, sonitū referuntq; agitata;  
Noveris *Auditum* non aliter peragi:  
Non fero quod minuetur; ast ad sint, quippe  
chelyos

Quæ rogo? vis, surdus dum fugat aure sonos;  
*Orpheus* haud valet hic, citharædus maximus: ipsa  
Flexanimis Pitho littora bobus arat.  
Panditur hinc, quæ sit, liquidò præstantia sensus  
*Auditus*: quem nunc dulcis amice doces.  
Differis egregiè, non fallor, quippe laborum  
Summus erat: novi, disserere quicquid habet  
*Magnus* Aristoteles, ut posses ritè vocari  
Philosophus; nec mens fallere Te potuit.  
Olim sic operam studiis impende: quousque  
Fama tuum nomen mitis in astra ferat.

ERICUS RUDY.

**M**OLLIA qui curat, non ardua sustinet ulla,  
nec satagit nisi trans culmina scandere  
Pindis.

Ast Tu fratum Unus didicisti impendere curas:  
Hocce opus ostēdit quod nunc defendere tentas,  
Ergo opto possis faustum contingere metam  
Et salvus Pylai vivas annosus in ævum.

OLAUS WETTERUS.

---

Applaudissement aux études de Monsieur

## OLAUS JUNHOLM,

En occasion de sa savante dispute de  
l' OïUE exposée au public en la ce-  
lebre Université d' Abo.

Voila le jour Monsieur destiné à faire éclater vótre erudition par l' excellent ouvrage, que vous allez exposer, au jugement, on plûtôt à l' admiration des savans; vous ne pouviez jamais faire choix d' une matière plus proportionnée à decouvrir la finesse de vótre entendement, que celle de l' OïUE, vu que vous faites voir par là n' avoir pas seulement apri's à bien oiiir, mais aussi à bien comprendre, & mèmes à approfondir ce qv' il ya de plus solide aux scien-

sciences. C'est par cette premiere production de Votre esprit, que vous donnez des marques certaines de ce, que la Patrie, vos Parens, & vos Amys se doivent promettre de l' heureuse poursuite de vos applications, & de l' éten-  
due de vos lumieres. Poussez donc courageusement de si beaux commen-  
cemens, non seulement en vüe de la gloire qui vous en doit revenir, & da  
l' avantage qu'en attend le public, mais aussi pour l' accomplissement des voeux de vos Amis, parmy les quels ayant l' honneur d' être, si non le plus utile & le plus digne, du moins le plus sincere, & le plus passioné, je vous y felicite, & vous y souhaitte du fond du coeur toute sorte de bonheur, & de felicité; c' est de quoy je vous prie d' être persuadé en faveur de celuy qui veut être toute sa vie.

*Votre tres affectionne S.r  
AND. Röding.*

**T**e non poenituit virtutis scandere culmen,  
Aonii Juvenis pars quotacunque ebori.  
Te non poenituit duros tolerasse labores,  
Sudasse, & varias sustinuisse vices.

Te

Rv. DISS. T.  
Te non poenituit, dum fors admisserat ista  
Discendo sumptua exposuisse graves.  
Optima das virtus: cuius decerpere fructus  
Adspiras dulces, tu mib: juncte fide  
Penelopea, nunc quoniam clarum indicium das  
Ingeniū docilis, latus ovans hilaris  
Plaudo, longeva & socies & gaudia vita  
Unī tergemino supplico bonore Deo.

DANIEL LITTORIN.

Nihil non divinum animo menteque agitant,  
qui palcerimas & cœlitus concessas dotes  
mentem & orationem formare & excolere ab  
ineunte ætate didicere; cum præstantia a-  
nimæ fortunæ corporisque bonis longè ante-  
cat, per quam homo ad similitudinem sui  
Creatoris effictus, proprius ad illud, unde re-  
fert originem, Exemplar accedit; ejusque be-  
neficio egregius honoribus decoratur, & vero-  
rum bonorum fructum reportat. Hæc diligen-  
tius animadvertisi studiorum meorum mo-  
derator industrie: qui annos tuos in litera-  
rum studio conterere ideo non veritus es. Et  
cum profectus studiorum tuorum experimen-  
tum hoc tempore capere voluisti in dissertatione  
benè conscriptâ, gaudium hinc adportatum con-  
tinere non potui, quin inter aliorum adclama-  
tiones id ipsum rumperem, opto denique ut hæc  
molinigatua optatum sortiantur finem, Vale.

SAMUEL S. MÖLLER. Ab.